

28  
13921/P  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

VIRTUTIBVS OPII MEDICINALIBVS SECVNDVM BRVNONIS SYSTEMA DVBIIS ET MALE FVNDATIS

---

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS PRIVILEGIIS AC IMMVNITATIBVS RITE CAPESSENDIS

A. D. VI. AVGVSTI. MDCCCLXXXV.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI OBTVLIT

A V C T O R

VLRICVS GVILIELMVS BLAESE

CVRONVS.

---

I E N A E,

LITERIS FIEDLERIANIS.

27



THE LIBRARY OF THE  
VALLORE LIBRARY

VALLORE LIBRARY

VALLORE LIBRARY

VALLORE LIBRARY

---

## Praefatio.

**V**etus est opprobrium, medicinam esse omnium scientiarum vanissimam, incertissimam, inconstantissimam, neque, si historiam artis spectes, adeo falsum est. Etenim inde ab HIPPOCRATE ad haec usque tempora, etiamsi natura rerum immutabilis, origo morborum eadem esse debeat, mirifice immutata et variata medicinalis artis forma est, ut, quae nuper vera, certa et firma habebantur, paullo post dicerentur falsa, incerta, fluxa, cum quisque auctor famae aucupandae gratia antecessores erroris insimularet, seque solum sapere, ceteros furere temere pronunciaret. ASCLEPIADES \*), ut Romanis placeret,

A 2 ret,

\*) Asclepiadis Fragmenta edit. C. G. Gumpert. Vinar. 1794. et Kramp Kritik der pract. Arzneykunst. Leipz. 1795. S. 396. seq.

ret, *Coum senem in deliris ponere, libros epidemiorum per risum et iocum meditationes mortis nominare solebat.* *THESSALUS* \*), certae nouaeque medicinae inuentor, vt sibi videbatur, et ad *NERONEM* Caes. gloriabatur, at vero thrafo impudentissimus, virium naturae et partium corporis constituentium ignarissimus, methodum sibi fingebat, vt asylum ignorantiae, strictum et laxum ad morborum nomenclaturam et systema condendum sufficere ratus. Reliquit sectatores quam plurimos, quos *GALENUS* propter rusticitatem, impudentiam linguae et inscientiam haud male dixit asinos *Thessaleos*. Similiter *PARACELSUS*, *HELMONTIUS* aliique artis reformatores rem suam tueri ac defendere ausi sunt, nequaquam vsi firmis et aptis argumentis, magis ineptis et insulsis cauillationibus, quasi vero hac via, quam plebeculae relinquendam puto, veritas certior fieret.

Nuperrime exortum est medicinae sidus splendidissimum scilicet, *BROWNE* \*\*), *Anglus*, noui, sed sectae methodicae propioris systematis conditor. Successit in partes, vt auxiliator et defensor malae rei, *MOSCATI*, *Italus*, succurrit rapidior torrente, loquax, disertus, sibi soli sapiens, sibi

\*) *Kramp* I. cit. p. 404.

\*\*) *Io. Brunonis Elementa Medicinae* — ed. *Petr. Moscati*, *Mediol.* 1792. deutsch überf. von *Weikard*, *Frankf.* 1795.

sibi fidens, ceteros medicos, praesertim artis professores, alto supercilio spernens, WEIKARD \*), Germanus, omnes paradoxi et rerum nouarum studiosi, solidioris medicinae ignari, virium naturae et materiae morbificae irrisores, semper actores, nunquam spectatores, sibi in affirmando nullo modo constantes, omnes morbos sthenicos et asthenicos esse rati, satis habent sub auctore, principe ac coryphaeo, BRUNONE \*\*), nosse, quo morbus quisque pertineat, ortus sit a debilitate directa, an indirecta. Tunc enim methodus pigrorum inuenta est scilicet. *Ad medendum morbis, inquit, semper proposito consilio utendum, stimulandum aut debilitandum, nunquam quiescendum, nec naturae, quae sine externis rebus nullae sunt, viribus fidendum.* Ergo cardo systematis supponit nihil, nisi stimulare vel debilitare, ut quondam apud MOLLIERIUM seignare, deinde purgare, reseignare, repurgare, negare omnem virium vitalium moderationem et materiae peccantis curam, quam alio loco iterum attendendam suadet \*\*\*) BRUNO. *In medendi consilio, inquit, sola materiae morbificae ratio habenda est, ut tempus, quo exeat corpore, detur.* Quam male sibi constat tam excellentis sy-

A 3

stema-

\*) Entwurf einer einfachern Arzneykunst oder Erläuterung und Bestätigung der Brownischen Arzneylehre von M. A. Weikard, Frankf. 1795.

\*\*\*) L. c. cap. 95.

\*\*\*) Bruno l. c. cap. 96.

stematis inuentor et conditor! Quam male versatus est in  
 medicinae verae cognitione ac arte dialectica! Quam  
 male cohaerent partes, basis et fundamentum!

Est ergo medicina quidem incerta et instabilis, sed  
 non per se et naturam suam, magis per auctores noua-  
 turientes et pruritu inclarescendi aegros. Transierunt  
 multa systemata, vt meteora, transibit etiam serius  
 ocyus systema Brownianum, cum malo innitatur funda-  
 mento, inconcussa manebit, vt semper, medicina vetus,  
 naturae principiis superstructa, vsu et experientia longa  
 confirmata, ballistis lepidis et tormentis ficulneis Wei-  
 kardianis nullo modo deprimenda. Verba sunt inania,  
 praetereaue nihil. *Commenta opinionum delet dies, naturae  
 iudicia confirmat,* praeclare monente TYLLIO.

In paradoxis huius systematis partibus non vltima  
 est de opii viribus opinio et doctrina. Quae cum prorsum  
 aduersa sit assumptis placitis et male cohaerens, mihi vi-  
 sum est specimen inaugurale scripturo agere de virtutibus  
 opii medicinalibus secundum Brunonis systema dubiis et male fundatis,  
 et, quae ego quidem sentiam, publice profiteri. Mihi  
 certe videtur nullo modo rem acu tetigisse, et falsis sum-  
 tionibus, quas vulgo philosophi praemissas dicunt, abu-  
 sus et innisus esse: Quae si subruuntur, etiam reliqua  
 cadere necesse est. Scribam ergo, vt potero, delibabo  
 potio-

---

potiora argumenta, vt, quam vanus auctor fit, abunde pateat, neque curabo bruta WEIKARDI fulmina vel insulsa conuicia. Tandem aliquando vincit veritas crabronibus petita, laceffita, irritata.

Ridiculi profecto medici sunt, qui cauffas rerum recte inuestigare, aliam ab alia distinguere nesciunt, nominibus *stheniae* et *astheniae*, tanquam scopulis, adhaerescunt, sibi que identidem in affirmando repugnant, diathesin sthenicam et phlogisticam, asthenicam et antiphlogisticam pro iisdem habent, partum difficilem vino et opio curant, in abortu menstrua profundi scribunt, transitum scirrhi in cancrum medicamentis irritantibus impedire iubent, et id genus alia deliramenta, vt noua et inaudita inuenta, iactitant. Mihi quidem videntur esse phrenetici, opus ergo est tribus Anticyris, vt mens sana hellebori salubris ope redeat.

---

---

**D**e opii viribus medicinalibus acturus, qua les BRUNO statuit vnice veras, non possum non vniuersam systematis Brunoniani adumbrationem praemittere, vt cuique pateat, ex quo fonte eius de opio doctrina, quam maxime diuersa et abhorrens ab assumtis medicorum decretis, dimanasse videatur.

Tota, quam BROWNE tuetur, sententia tribus nititur momentis, eaque sunt *incitabilitas, incitamentum et incitatio*. Prima est ea vis siue proprietas, qua homo viuus ab rebus externis, vt potestatibus incitantibus, affectus, suas actiones peragit. Alterum idem est, quod vulgo *caussa incitans* siue stimulus appellatur, tertia est potestatum incitantium in incitabilitatem agentium effectus. Ex huius auctoris mente omnium phaenomenorum, omnium actionum vitae *caussa* est incitatio, ceu creaturae animatae agens principale. Verum enim vero num

BROWNE



BROWNE hoc asserto orbem medicum novo invento ditavit? Nonne res ipsa iam diu sub nomine *irritabilitatis* paullo liberaliore nota fuit, vel sub nomine naturae et vis vitalis comprehensa? Quae enim ipse de sua incitabilitate dicit, etiam HALLERUS de irritabilitate, VNZERUS, SCHAEFFER et alii de sensibilitate, mutatis mutandis dixerunt. Quae si sensu latiori sumitur, illas vires, tanquam formas, sub se complectitur, et tunc eadem est, quae vulgo natura HIPPOCRATIS est, vel vis vitalis recentiorum. Atqui vero res non minus nota omnibusque artis medicae peritis satis peruulgata est, ad actionem vis vitalis excitandam irritamentum necessarium esse.

Sanitatem constituit iusta proportio incitamenti ad incitabilitatem. Qua proportione sublata laesave, irruit morbus. Si omnino tollitur, sequitur mors. Haec vero noue dicta noua minime sunt. Aliis verbis eadem narratur fabula. Nostrates huc usque dicere soliti sunt, ad sanitatem requiri aequilibrium inter vim eiusque effectum, quo aucto, imminuto vel sublato, sequi morbum plus minus grauem secundum gradum vis vitalis in corpore consistentis.

Haec incitabilitas ab eis, quae in illam agunt, et augeri, et minui potest. Incitatione paullo fortiori, ac corpus ferre potest, incitabilitas debilitatur. Contra si incitatio parum fortis est, maior incitabilitatis pars rema-

net, neque omnem suam vim exserere potest. Sic BROWNE robur debilitatemque, ut opposita, proponit, et pro systematis fundamento ponit. At vero nonne iam diu vim eiusque actionem ad eam, quam patitur, incitationem definitam et proportionatam esse debere inter omnes constat? Nonne vel ipsi tyrones artis hoc dogma sciunt, ubi adversus fortem incitationem valde intenditur vis, non potest non debilitas sequi, quae respondeat potestati incitanti? Huic propositioni per se verae, sed a BRUNONE non satis stabilitae superstructa est systematis basis, *debilitas*, quam *directam* et *indirectam* esse putat. Neque hoc satis bene. Debebat enim prius a se distinguere *incitabilitatem absolutam* et *specificam*, quoniam sine his certa debilitatis Brunonianae notio mente informari non poterat. Haec v. c. maior in infante ac febre inflammatoria est, in morbis longis minor, illa vero decrescere ac imminui debet in eo, qui spirituosus liquoribus inebriatus iacet.

*Debilitas directa* nostro est, ubi abundantia incitabilitatis, incitamenti vero defectus deprehenditur. *Debilitas indirecta* accidit, ubi incitamentum nimis forte incitabilitatem exhaustit velutique prostravit.

Sed ne in his quidem bonus dialecticus BRUNO fuisse videtur. Nam incitabilitas specifica imminuta ab eo dicitur non satis accurate ac vere *debilitas indirecta*, quoniam haec vis, continuis longisque irritamentis incitata, vel  
subi-

subitaneis, at vero nimis concitantibus rebus intenta, per insequentem concitationem hebetatur, deprimitur, exhauritur, rectius nominari debuisset *directa debilitas*, et sic vice versa, quam vocat *rectam*, magis dicenda videtur *indirecta*, quae supponit defectum causarum incitantium vel impotentiam, praesente idonea incitabilitate, incitationem faciendi et ciendi. Integrae partes sunt, deest proportionatus corpori stimulus, quo vires concitantur. Forte maiori cum accuratione atque ad maiorem discen-  
tium utilitatem *debilitas vera et spuria* dici protuisset, tunc vero nihil relinquitur, nisi hoc, debilitatem quae-  
rendam esse vel in ipsis solidis corporis partibus, vel extra eas positam. Hoc vero nec nouum est, nec inaudi-  
tum prius.

Hoc subnixus fundamento, BROWNE statuit non dari, nisi *sthenicos* et *asthenicos* morbos. In illis subest incitatio auctior, in his efficaciae vis imminuta. Quibus positis, sub hoc auctore in praxi sola additio et subtractio respectari et adhiberi debet. Verum enim vero quam man-  
cum hoc praeceptum est! Quam vana et inconstans ist-  
haec diuisio? Oportebat BRUNONEM ex hac notione inci-  
tabilitatis et incitationis, quam ipse scripserat, certos definire fines, intra quos morbi sthenici et asthenici con-  
sisterent, sed inter legendum videmus eum sibi non con-  
stitisse, quae coeca experientia et casus obtulerat, com-  
posuisse, neque logicam accurationem vel adhibuisse,

vel ostendisse, ut, quae rei veritas sit, quisque intelligeret.

Num pathologia humoralis ideo repudianda est, ut WEIKARDO videtur? Non putarim. Saepenumero potestates incitantes nihil sunt, nisi materiae irritantes.

Et quis motionem nervorum statuere potest, quin simul de secretionem fluidi alterata cogitet? Praeterea morbi sthenici in asthenicos transire possunt. E. gr. inflammatio in putredinem. In hoc autem negotio tam ad cognoscendum, quam ad tractandum morbum nonne pathologiae humoralis auxilio opus erit? Ut taceam debilitatem directam haud raro debilitatem indirectam comitari, ac utramque simul adesse posse. Sic in sanguinis penuria iam indirecte antegressa est debilitas, hicque summus debilitatis gradus adesse potest; cui, si ex sententia eventus procedere debet, incitatio non, nisi summa cum circumspectione subdenda erit.

Omnia symptomata, quae morborum sthenicorum propria sunt, ut dolores, deliria rel. oriuntur in sthenica incitatione, eaque in quosdam corporis partes fortius agunt.

Haec vero quidem a BROWNE dicta sunt, minime vero nova, sed pervagatissima. Nostrates videlicet aiebant,

bant, rationem esse habendam incitationis inflammatoriae.

Porro absurdum est, inflammationem localem esse stheniam, febrem vero adiunctam astheniam; Haec vero nec satis vera, nec omni exceptione maiora sunt, neque certiora fiunt fictae pyrexiae confugio. Profluvia sanguinis BROWNE morbis asthenicis adnumerat, idque univarse et simpliciter pronuntiat, sed perperam. Nonne enim dantur haemorrhagiae passivae et activae, v. c. si incitatio a bile profecta est? Hic si doctissimus BROWNE iussu excitarem, male de aegro ageretur. Atque systema Brownianum non curantes rectius in re tanti momenti versabimur, si emetica praebemus, more maiorum, quos illi novatores quidem in ore habent, sed ne per transennam quidem viderunt, omnium minime WEIKARD.

Theoriam lubricam sequitur similis praxis. Methodici veteres stricto et laxo medicinam accommodabant, et in casu dubio admittebant medium, habita causae ratione, methodici recentiores ne talia quidem curant, nominibus indeterminatis contenti. Satis est nosse, incitationem esse nimiam, ergo debilitanda est, ergo congestio sanguinis venae sectione tollenda. Quasi vero non prius origo mali inquirenda, res circumstantes considerandae sint, vel semiotica cognitione praevidendum, num forte sthenia possit in astheniam insperato transire. Im-

prudens venae sectio tunc magis obest, quam prodest. Etenim, hos si audiamus, nihil refert scire, unde veniat incitatio, neque quaerere debet medicus, a quibus causis oriatur sudor, symptomaticus, an criticus sit etc. Sufficit aegrum laneis integumentis inuoluere, puluerem Doweri dare, potenter insudare. Profluvia, unde demum cunque nata sint, quatenus asthenica dicuntur, promiscue medicamentis stimulantibus et calefacientibus curari iubentur, quasi vero nulla darentur in sensu Brunoniano sthenica profluvia.

Haec strictim et carptim dicta sufficiant de systemate, quod ex propositionibus nimis augustis vel vagis fluxit, quodque ad vnum alterumque casum applicare licet, et ne in hunc quidem, nisi vt pathologiae humoralis, a doctissimo BROWNE in magnum damnum nimis neglectae, habeas rationem. Ergo nomine systematis insigniri non poterit, quicquid BRUNO et eius adsecla, WEIKARD, pro tali venditant.

Nunc propius aggredior ad effectus opii, quales vulgo scribuntur.

#### PAPAVER SOMNIFERUM LINN.

*Proprietas opii.* Opium habet insignem amaritudinem odoremque peculiarem, rancidum, narcoticum. Contenta eius sunt partim resinosa, partim gummosa, partim fugacia.

Prin-

Principium narcoticum in fugacibus latere videtur, est vero cum resinosis ac gummosis artissime coniunctum.

Contenta opii respectu effectus in corpore animato sunt incitantia et narcotica. Opii effectus ipsi sunt sequentes. Primus effectus se exserit in organis sensoriiis et motoriis, et tunc singulares opii proprietates sunt.

- a) Pulsus celer, qui simul plenior maiorque evadit.
- b) Calor corporis augetur.
- c) Respiratio anxiosa, in principio saepe operosa.
- d) Sudor erumpit.
- e) Siccitas faucium et alvi sequitur.

Opium vero vim debilitandi habere, iam ex eiusdem incitante proprietate colligi quodammodo potest: Namque omnia phaenomena antea commemorata ab sumto opio nihil sunt, nisi sequelae naturae reagentis in incitationem, partibus solidis in statu naturali non convenientem. Quod vero, viribus nostrae vitae naturaeve violenter intensis, aliqua laxatio sequi debeat, est res a nemine hactenus in dubium vocata. Atque quando aliquis de opii vi debilitandi ambigit, illius proprietates narcoticas debet respicere. Idem eventus quoque testatur

et

et experientia. Videlicet pulsus fit minor, rarus, intermittens, respiratio rara ac interrupta, sudor copiosus a debilitate, excretio alvi cessat ob laxitatem, apparent etiam haemorrhagiae, omnes vires ita deiciuntur, ut saepe convulsiones ob debilitatem sequantur.

Post mortem membra molliora flexibilioraque deprehenduntur, unde intelligitur vim cohaesionis vere imminui. Ut de opii vi debilitante persuadeamur, id solum nobis factu opus est, ut animum ad opii operationem localem aduertamus. Vbi cunque locorum homines opio vtuntur, cernitur debilitas, tanquam sequela eiusmodi vsus. Quod si opium roborans esset, contrarium incidere deberet. Hoc vero apparet in vsu tam interno, quam externo. In ventriculo post opii vsu internum illa debilitas conspicua est, appetentia deficit, motus peristalticus frangitur, eoque ipso excretio alvi.

Certum ergo est, opium datum primo excitare pulsum, et circuitum sanguinis augeri, deinde minui celeritatem, vim arteriarum quodammodo frangi, debilitatem aliquam relinqui. Certum etiam hoc est, opium ita afficere systema neruorum et arteriarum, ut, exhalata veluti vi excitante ac calefaciente, sequatur relaxatio et narcosis, pulsus imminuatur, et cordis potentia debilitetur.



In contrarium abit BRUNO \*), opium stimulative, non sedatrice virtute consopire professus. Haec magna opii virtus, inquit, quae nullam propriam virtutem, nullam, quae non ei cum omnibus aliis potestatibus communis sit, possidet. Sic in magna debilitate, ut in febribus, ut in vehementi podagrae accessione, interiora cum graui tumultu turbante, et aliis consimilis languoris morbis asthenicis, ubi morbi vi somnus arcetur, opium saepe, postquam multos dies vigilia permansit, altum et sincerum somnum inducit. Quo in casu, propterea quod incitabilitas plurimum abundat, eoque perexiguam stimuli vim perferre potest, igitur a stimulo minimo incipiendum, paulatimque ad plus, dein etiam ad plus, progrediendum, donec ad somni punctum, quod cito fiet, siquidem id multum intra rectae debilitatis fines consistit, demum perueniatur. Et paullo post \*\*) ita differit: Vno verbo, per omnes medios, a recta ad indirectam debilitatem, quasi gradus, opium omnium fere potestatum longe potentissime stimulat.

#### DE OPERATIONE OPII EX BRUNONIS DOCTRINA.

Statuit BRUNO, hoc remedium quasdam functiones excitare, animales vero minuere, in genere vero contendit, illud nequaquam agere, ut sedatiuum, sed ut incitans et quam maxime roborans. Iam vero oritur quaestio, quibus argumentis hunc effectum opii excitantem evincere studeat. Profert sequentia:

1) Tur-

\*) L. cit. c. 7. §. 244. p. 113. cf. Weikard 1, c. p. 222. seq.

\*\*) Ib. §. 246. p. 113.

- 1) Turcae opio largiter vtuntur, vt animus et fortitudo augeatur.
- 2) Animadverterunt medici, hominem, opio sumto, hilariorem esse factum.
- 3) Somnum quidem facit opium, hic vero effectus, tanquam cooperatione quidam producitur. Incitat ad eum gradum, vt virium deiectio, debilitas indirecta, subsequatur.
- 4) Opium in omnibus morbis debilitatem tollit vel imminuit.
- 5) Opium nullo modo sedat, sed excitat.

Id haud dubie difficillimum demonstratu fuerit. Haec enim praepositio, quae particularibus convenit, vniuerse admitti nequit. Haec argumenta sunt magis speciosa et probabilia, quam vera, particulariter defendi possunt, in genere minime. Dispiciamus de singulis.

#### CONTRA ARGUMENTUM PRIMUM.

Animus non semper causas positivas requirit, vt excitetur, negativas etiam habere potest. Recordatio periculi saepe animum nobis eripit, contra id, quod nos metu periculi liberat, animum iterum reddit. At opium minuit, frangit et demit sensibilitatem, hebetat mentem, aufert conscientiam, et consequenter sensum quoque periculi.

riculi. Obturat quasi externas sensuum impressiones, quae nos periculum vereri iubent, atque efficit, vt ingrata sensatio non amplius feriat animum sui rerumque extra se positarum nescium. Dolor supponit mutuuum inter mentem et corpus commercium et cursum non interruptum vsque ad commune sentiendi instrumentum. Contra si fit, nullus est summi doloris sensus. Oritur anodynia, auctore GAUBIO \*), et, *sensorio communi impedito, uniuersa vis sentiendi labascit in apoplexia, sopore, epilepsia etc.* Opium si excitare Turcas creditur, falsa et periculosa medicina est: Nam summa sensuum hebetudo et virium prostratio in propinquo est.

#### CONTRA ARGUMENTUM SECUNDUM.

Hilaritas est signum status mentis exaltati. Ingratis impressionibus sublatis, homo hilarior redditur. V. c. vbi vehementes dolores discruciant, hi tollantur necesse est: Quo facto, dolores evanescent, et animus hilaritasque redit. At opium aufert sensum, qui hilaritatem turbare poterat, mirum ergo non adeo est, vt WEIKARDO \*\*) videtur, si phthificis interdum conueniat, palpitationem minuat, haemorrhagiam narium sistat etc. Aestima causam et statum morbi, et mirari more empiricorum stu-

C 2

penda

\*) Institut. Patholog. §. 678. p. 432. ed. Lugd.

\*\*) L. cit. p. 204.

penda opii miracula defines. Ego vero ridiculum medicum censeo, qui aegrum hilarem et vegetum, ut mercurium, fuisse scripserat. Illum talem esse posse scio, hunc vero hilarem vel tardum unquam fuisse nescio, cum ista proprietas mercurii non, nisi in cerebro WEIKARDI, summi scilicet philosophi, existat. Haec et similia sunt potius insanientis, quam hilaris documenta, Abderitis aptiora, quam philosophico medico, qualis semper et ubique videri haberique cupit.

#### CONTRA ARGUMENTUM TERTIUM.

Huic sequentia aduersantur.

- a) Opium non semper efficit dormitionem, nec doses quidem maximae.
- b) Si BRUNONIS decretum verum et omni exceptione maius esset, quodcunque excitans, ut cortex Peruvianus, Guaiacum etc. somnum excitare deberet. Sed ita non est. Proinde non merae incitationes hic sufficiunt.
- c) Exstant remedia, quae sine excitatione in statu vitae somnum procreant, v. c. Hyosoyamus etc. Hic pulsus nullam mutationem subit, nec celerior est. Reddit ergo res eo, ut causas a se inuicem bene distinguas, quae impediunt, quo minus somnus gratus veniat. Si ergo cogitas hypochondriacum praecordii aegrum esse, arthriticos et podagricos nervorum

sen-

sensu ingratisimo laborare, dolorem dentium et corpus, et mentem grauius afficere, febrem intermittentem non, nisi spasmus esse, et haud raro immaterialem, largiri WEIKARDO sanationem laudani liquidi ope factam poteris, rationem vero, quam affert, veram esse negabis.

#### CONTRA ARGUMENTUM QUARTUM.

Si cogitemus, quid BRUNO per morbos asthenicos intelligat, facile concedere licet eos morbos tales esse, quales opium tollere possit. Experimenta certa sunt, argumenta minime.

#### CONTRA ARGUMENTUM QUINTUM.

Excitare, eoque modo roborare opium nequit, si irritabilitatem sensibilitatemque omnem aufert. Impone homini extrinsecus opium, locus omnem sensationem perdet. Opio interne sumto, ventriculus tubusque intestinalis eae sunt partes, in quas opium proxime agit. Quod si excitans est, vt BRUNONI et WEIKARDO videtur, oportet in eam partem, quam proxime tangit, vt irritans, agere functionesque augere. Sed experientia contrarium docet. Opium has partes, quas proxime attingit, valde afficit, hic tollit irritabilitatem ac sensibilitatem. Effectus ergo testantur de causa et agendi modo.

DEMONSTRATIO IN CONTRARIUM.

- 1) Si quis opium sumit, appetentia illico tollitur, ventriculus et tubus intestinalis suam vim perdunt.
- 2) Concoctio turbatur debilitaturque, musculi ventriculi suam, quam antea habuerunt, vim nunc minus exercent in contenta ventriculi. Vbi sordes adsunt, opium hominem periculis haud leuibus exponit. Motus peristalticus vel minuitur, vel cessat. Sordes in magnum hominis damnum suo loco diutius morantur, vasa exhalantia paralitice debilitantur, nec amplius exhalant, indeque sitis siccitasque oriuntur.
- 3) Circa excitantem opii effectum facile falli possumus eo, quod opium vim cordis augere dicitur. Sed ad haec sequentia monenda habeo.
  - a) In dosibus quidem minoribus ista incitatio observatur, res autem haec ita explicanda est.

Vis opii non eum ad eum gradum peruenit, ut irritabilitatem sensibilitatemque omnem tollere possit. Ibi ergo operatur velut aliquid heterogeneum. Quod si vero maiores praebentur doses, operatio citius evanescit, subsequiturque certior debilitas, quam siue directam, siue indirectam dicas, mihi perinde est.

- b) Celerior sanguinis circulatio pendet partim a propria ingenitaque cordis et arteriarum vi irritabili, partim ab eo quod vasa minora citius vim suam

suam vitalem perdunt. Vbi extremitates vaforum non amplius augeri possunt, consequens est, ut sanguis, quem continent, ad cor nimium congeratur, cor magis irritatum maiorem vim intendere debeat ad stagnationem vaforum minorum superandam. Hac ratione augmentum virtutis vitalis negatiuum effici potest.

- c) Haec irritabilitas cordis etiam ex observatione antagonismi deduci potest.

Opium quando in tubum intestinalem agit, supprimit gradum virtutis, qui ad incitationem aptam requiritur. Iam vero inter omnes constat, vim in vna corporis parte imminutam, in aliis partibus vim auctam efficere. Quo minus ergo in vsu opii vis in tubo intestinali agere potest, eo fortius sese conspicuam praebet in corde, in cerebro aliisque partibus.

Dubia ergo est, nec satis fundata BRUNONIS *de opio* sententia, empirica sunt argumenta, quibus ad probandum vtitur, coniecturae a vero quam maxime alienae, propositiones non satis firmae. WEIKARD ait ad somnum requiri aliquam irritationem et incitabilitatem, sed non offert legentibus notas, quibus ille incitationis gradus cognoscitur. Neque ego somnum, quem vulgo dicunt mortis imaginem, cum adiuncto irritamento mihi cogitare possum, cum sine remissione sensuum externorum et internorum nullus sit, incitabilitas ergo naturalis, ut potentia, ma-  
gis

---

gis pertinet ad somnum praesentem fugandum, ne iusto diutius perduret. Latere mihi etiam contradictio in adiecto videtur, si dicatur somnus, i. e. quies mentis et corporis, et opium irritans, excitans simul, maleque huc applicatur propositio, quo maior debilitas, eo maiore opus est irritamento. Opium cum sit ex familia narcoticorum, debet semper deprimere sensus, et si quando exhilarasse dicatur, subitanea virtus est, debilitas male facta. Incumbit ergo WEIKARDO probandi onus, quomodo opium per se narcoticum i. e. sensus instrumenta laedens et hebetans, possit sensum naturalem, i. e. incitabilitatem ita concitare, stimulare, augere, ut nascatur simul incitatio et quies, num omnes spasmi et convulsiones desiderent irritationem, num opium possit vim vere excitantem hisce in casibus exserere, cui re ipsa deest, quomodo possit cum vino, spiritu vini, liquore cornu cerui ceterisque alcalinis volatilibus eodem haberi loco, quomodo possit tuto lenire accessionem hystericae, cum fere debiliores et hebetiores inde fiant mulieres, quo sensu opium vasa angustet et roboret, cum spasmus i. e. contractionem auferat etc. Haec enim adeo inter se discordant, et sine certa probatione adferuntur, ut, qui talia dicat et scribat, aut ipse demens habendus sit, aut alios dementes, stupidos et credulos esse existimet. Quare si meliora me docuerit Cl. WEIKARD, argumentis usus rectis, non scurrili licentia, magnus mihi erit Apollo.

---